Septentrionalis uel Meridionalis, ſecundum quod fuerit prædictum aggregatum Septentrionale uel Meridionale, uel pars uincens. Similiter ſcias de loco uel Planeta, uel ſtella, ad quã fit directio, & habebis ipſius declinationem æquatam, & ipſius partem. Poſt hoc conſidera ſi amborum locorum declinationes æquatæ ſunt æquales, & in eadem parte, quia tũc ambo, ſcilicet ſignificator qui dirigitur, & Planeta uel ſtella, ad quã dirigitur, ſunt & currunt in eadem circumferentia. Si uero ipſorum declinationes æquatæ fuerint inæquales, aut in diuerſis partibus, nõ ſunt, nec currunt in eadem circumferentia, ſed in diuerſis. Et ſcias quòd ſi Planeta uel ſtella nõ habet latitudinem, ſed eſt in ecliptica, tunc eſt & currit in circumferẽtia ſui gradus, ſed ſi habuerit latitudinem, tunc eſt & currit in circumferentia gradus, cuius declinatio eſt æqualis, & in eadẽ parte declinationis æquatæ ipſius Planetæ. Et ſi declinatio æquata planetæ uel ſtellæ nõ reperitur in tabula declinationis, ſcias quòd ipſe planeta uel ſtella, non eſt nec currit in circumferentia alicuius gradus zodiaci, quia eius declinatio æquata eſt maior quàm tota declinatio zodiaci ab æquatore. Aſpectus uero ſeu radiatio, eſt radioſa cõmixtio planetarum & ſtellarum ad inuicem à certis & determinatis locis circuli, ſeu cœli per quam influitur, & applicatur [illegible] rum uirtus unita ad certam & determinatam partẽ terræ. [illegible] cere uero & radios proijcere, eſt planetam radios ſuos multiplicare et extendere ad certam & determinatam partem circuli, in qua ſi fuerit planeta uel ſtella, contingit eorum uirtutes uniri et commiſceri, & ad terram applicari. Sciendum eſt autem quòd ſapientes antiqui aſſignauerũt ſolummodo quatuor aſpectus, ſeu quatuor ſpecies aſpectuum, uidelicet, aſpectum oppoſitionis, trinum, quartum & ſextilem. Eſt autem aſpectus oppoſitionis qui attenditur penes lineã diametralem, ſubtenſam arcui ſex ſignorum, quæ ſunt medietas circuli. Ita quòd duo puncta terminantia dictam lineã dicuntur ſe aſpicere de oppoſitione, à quibus punctis lineæ rectæ ductæ ad centrum conſtituunt prædictam lineam diametralem, quarum utraq; conſtituit unum angu-